127

1511. 24. Augusti.

Sigism: I. Rex Polon: Raphaëli de Leszno Capneo Schlochovien:

Gnose fidelis dilecte! In absentia tua, cum legationis munus apud Ducem Saxoniae obires, perterruerat Nos rumor, quidam, quod ad intercipiendam Arcem Schlochow structae insidiae essent. Quo quidem rumore permoti, miseramus illuc Joannem Baliński, ut tuos admoneret, ut in custodia Ipsius Arcis attenti essent. Cui etiam commiseramus, ut simul Arcem ipsam, quomodo dirigeretur, revideret. Qui cum Castrum bene in omnibus dirigi referat, tamen ruinosas Ejus munitiones non probavit, asserens necessariam esse certis in locis promptam reformationem. Cum itaque tu non ignoras Nos de instaurandis Arcibus Nostris esse multum sollicitos, volumus ac mandamus tibi ut Easdem ruinas, quae parvo (: ut ait :) sumptu reparari possunt, repares, et ne stillicidiis vitientur, provideas. Quod autem in id expendes, id in Calculo proventuum Nrorum tibi suscipiemus. Datum 4. Augusti. 1511.